



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Cupiditas Martyrii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

ueat, vt ploremus contritiones Israël. Hæc flamma rapiebat virum Dei ad illam tot eodem tempore subeundam laborum varietatem, vt idem concionibus pertonaret, idem Catecheseon exorberet tædia, idem doceret, atq; adeò digladiaretur in gymnasiis, idē aures confitentibus daret, Nosocomia, & custodias publicas tereret: per cōcreta niuibus, inter hominum, ac cæli iniurias erraret loca: nec ferè vnquam dexteram stylo, tanquam sacro telo nudaret. Vnde necesse erat frangi tandem vires corporis, & inuictam illam animi constantiam, præ carnis infirmitate, demum sub fasce cadere. Inde omnibus clamantibus plus nimio atterere se se, & laboribus enecare, cogitabat nondum se vsq; ad sanguinem pro Dei Ecclesia hostium telis obstitisse: nec quicquam auebat ardentius, quàm vt martyrij certamen offerretur. Itaq; cum aduersus editum à se Catechismū quidam scripisset maledicentissime, Gratias, aiebat, sancto Iesu nomini agamus, pro quo nomine digni sumus, & vtinam digni, maiora pati, non solum contumelias verborum, sed etiā rebus ipsis iniurias vsq; ad mortem in testimonium illis pro gloria ipsius nominis IESV amen. Cum verò

*Cupiditas
Martyrij.*

inhorrescerent res Viennæ, vti supra narratum est, nisi prohibitus esset, auebat in mediam pro- uolare flammam: quãquam ipse nunquam im- memor humilitatis suæ aiebat, Dominus IESVS rebus tam afflictis opitulari dignetur. Ego non Medicus, sed Spectator, ac testis adesse cogor cõ- munishuius, & diuturnæ calamitatis. Eodem ex igni erumpebant ad sociorum roborandam cõ- stantiam, quos interdum non nihil ærumnarum defatigabat moles, flagrantissime cohortationes; quorum vnum haud impigrum sacerdotem per epistolam confirmat his verbis. Quare non pos- sum, inquit, non congratulari nobis de hac inuē- ta Cruce, quam vt patienter, fortiter, & alacriter pro nomine IESV perferamus etiam atq; etiam rogo. Nã quod scribis fore vt Romæ fortasse nos cito complectamur, sicut alias etiam indicaui, nõ eo referri velim, velut nos tæderet, aut pigeret ha- rum molestiarum, quas in peregrinando, ac visi- tando subire necesse est: sed hoc demum, vt pul- cherrimum ita nobis dignissimum, Christoque gratissimum erit, relicta nos Italiae, & Hispaniæ memoria soli Germaniæ nos totos non ad tẽpus, sed in omnem vitam dedere: huic summis viri- bus,

bus, & cupiditate maxima penitus laborare, & quandiu ab huius agri cultura non reuocamur, nihil æque fitire, ac germanicæ messis, & bonorū in illa operariorum, nostrorum verò præsertim confirmationem, lætumq; successum. Et aliis ad eundem literis, Breui fortasse Vienna nobis martyres dabit: ex quibus vtinam partem habere aliquam mereamur. Sed in fide, magnaq; fiducia, ac animi virtute inuicta persistamus: tantoq; magis ad arma spiritualia confugiamus, quo fortius imminet, ac premunt hostes Christi, pestes Ecclesię, & ministri Satanæ. Quare fratres omnes magis, ac magis, vt in officio confirmentur, & ad pugandum instruantur decet, quia nunc fortes in acie milites Christi stare, omniaq; aduersa contemnerē, & ad mortem quamuis horrendam paratos esse tempus requirit, vt hæc professio iubet in Christo Iesu Domino. Is gratiam nobis suam augeat, vt in hac tot modis dissipata vinea quibuscunq; modis possumus indefesse laboremus: & in lacrymis seminemus, quæ aliquando in exultatione metamus.

Ex eodem flagrantissimo caritatis æstu ori-
bantur ardentissimæ illæ preces, assiduæq; voci-
fera-

*Precatio ardens,
& quadam col-
luctatio cū Deo.*